



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ad annum Christi 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118618**

§. 82. Legatorum Responsum ad Oratores Venetos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](#)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1563.

casione ne verbum quidem de sua caus-  
fa proposuit, unde Veneti Oratores i-  
psius loco verba facere cœperunt, &  
ut suæ Reipublicæ honorem vindica-  
rent, testatumque redderent, quod ipsi-  
met persuasum esset, se suis partibus de-  
fuisse, si ex suis subditis quempiam de  
hæresi re ipsa suspectum ad Purpuram  
evehi petiissent, quapropter hanc cau-  
sam dijudicari efflagitabant.

§. LXXXII.

*Legatorum Responsum ad Oratores  
Venetos.*

Pallav. n. 10. Igitur Legati habita inter se consulta-  
& 11. tatione circa Oratorum postulata,  
tandem illis hæc reponebant: „Jure  
„quidem optimo a Republica, ac po-  
„tissimum a Patriarcha exoptatur exi-  
„tus illius cauſæ, sed fas nobis non est  
„manum illi admovere, aut tolerare, ut  
„Synodus eam admoveat absque pe-  
„culiari Pontificis diplomate, apud quem  
„ſæpe eadem cauſa fuerat agitata, at-  
„que exposita, cum hoc pacto indi-  
„caretur Concilium præesse Pontifici,  
„& obtinere potestatem avocandi ad se  
„cauſas coram Pontifice jamjam in-  
„choatas: fatemur quidem Navagerum  
„& Moronum Cardinales, priusquam  
„Roma discederent, collocutos fuisse  
- „cum Pontifice, qui etiam Navagero  
„qua-

„quædam scripta hanc in rem consigna- Sæcul. XVI.  
 „vit : Verum tamen cuncta hæc satis A.C. 1563.  
 „non sunt absque speciali mandato sub-  
 „scripto a summo Pontifice, qui nobis di-  
 „xerat, se plenius, quid ipse vellet, signi-  
 „ficaturum.

Oratores ad insperatum hoc respon-  
 sum valde commoti hæc reponebant :  
 „Accepit Venetæ Reipublicæ Senatus  
 „minime dubia hujus caussæ ad Syno-  
 „dum devolutæ argumenta, inter quæ  
 „præcipue sunt Pontificis verba Romæ  
 „ad Venetum Oratorem facta, necnon  
 „ejusdem promissio duobus Legatis  
 „præstata. „ Postea Oratores expone-  
 bant, quod hac fiducia fretus Reipubli-  
 cæ Senatus Patriarcham Tridentum ab-  
 legarit, adeoque non leve dedecus in i-  
 psam Rempublicam redundaret, si va-  
 næ promissionis spe se lactatam, nudisque  
 verbis deceptam cerneret.

### §. LXXXIII.

*Legatorum declaratio de hac caussa  
 absque Pontificis diplomate non  
 dijudicanda.*

Verum ad hæc reponebant Legati : „In Pullav. n. 12.  
 „hujus caussæ judicio, si facta est cun- & 13.  
 „statio, ea ipsi Patriarchæ vitio vertenda  
 „est, qui, si Roma non secessisset, feli-  
 „cem suæ caussæ exitum jam sortitus  
 „esset. Ceterum in comperto nobis est  
 „Pon-